



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Veneta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67132)

PROVINCIA
VENETA.



NOSTRORVM in Veneta Pro-
vincia numerus fuit ad trecentos.
Venetijs quatuor & quadraginta.
Novellaria 30. Patavij quatuor &
quingenta. Brixie quadraginta.
Quinque & viginti Bononia. Ferraria 20. Muti-
nae 10. Placentia, Mantuaq. vtrobiq. duodeni. In
Foroiulij. 13. Parma duo de viginti. Duo vero &
viginti Verona. Societatem auxere septemdecim.
Obiere quinque.

VENETA PROFESSORVM
Domus.

INTER eos fructus, quos è reliquis suis mune-
ribus hic Societas cepit, non exigui videri de-
bent ij, quos è spiritualium exercitationum vsu col-
legit. Obierunt eas viri gravissimi, praecipueq. Epi-
scopi cuiusdam familia: quae his erecta praesidijs to-
ta se finxit ad probitatem. Sed Theologum quendam
canobitam meditationes illae sic immutarunt, ut nec
expiare rite animum posset, nec preces ad Deum fun-
dere, nec imperatum Psalmodiae munus exsequi, sine
F 2 magna

magna vi lacrimarum. Episcopus vero ipse quoque à ceteris muneribus requiescens, circumciso familiarium colloquio, otium sibi sumpsit multorum dierum ex Sacerdotis nostri præscripto, ad contemplanda & tractanda cælestia. quamdiu autem latuit abditus in cubiculo (latuit autem diebus fere septemdecim) non modo ipse nusquam extulit pedem, nisi forte sacrificij causa proximum in sacellum, sed ne puerum quidem, qui sibi ministraret, admisit: satius esse ducens, tantisper carere ministris, quam interpellatoribus aditu patefacto, vagandi causas inclusa & collecta iam menti præbere.

PATAVII datur opera, ut quas Damon animis plagas imponit, ea Deo opitulante sanentur. Puella cum diu multumq. sollicitaretur ad stuprum, tandemq. clam parentibus esset abducta, parens furore percitus ferrum arripit, ut duas alias natu minores filias, ne sibi aliquando dedecori essent, occideret. Sed ne in suum ipse sanguinem arma sumeret, Dei bonitas uetuit. Occurrit in itinere Crucifixi Redemptoris imago, cuius ille commotus aspectu pedem retulit, & consilij causa nostros adiit. Nostri non modo ut ei filia restitueretur, sed etiam tantam dotis perquireretur, curarunt, ut eam honeste collocare posset. Ita eadem opera & iusto patris dolore, & filie fame consultum est. Quidam cum pudicitiam suam contra insidias muliebres diu acriter defendisset, ad extremum tot certaminibus preliisq. defessus, cogitabat turpissimam deditionem. sed supposita manu sua Deus, ne qui cecidit, laderetur.

homi-

hominem continuo ad luctum reuocat, luendamq. penitentiâ lacrimis conceptam iam intus maculam. dum in his lacrimis luctuq. iacet, ingens repente fit fragor, ruinarum fragori persimilis, & inter fragores vox exauditur eiusmodi; Quorsum tanta pudicitia cura? quorsum castitas tam exacta? at ille fraudes sentiens hostiles, cum se contulisset ad nostros, expiandis rite noxis, capiendog. Christi corpore, contra omnes se munivit insidias. Quidam etiam de Societate Nouitius, dum ex hoc Collegio Veronam pergir, non leues hominibus peccandi occasiones ademit. cum enim ad cauponem diuertisset, & inter cœnandum muliebri ex oratione, totoq. gestu corporis scortum adesse sensisset; arrepta ex eo qui celebrabatur die (is erat Beatae semper Virginis natalis dies) occasione dicendi, sua oratione perfecit, ut quotquot aderant, in preces genuaq. proci-derint: recitatisq. litanis, facili negotio mulierem, ut impuris eius noctis voluptatibus temperaret, in proprium cubiculum separarit atque concluderit.

BRIXIAE Oratorium paulo ante institutum mirabiles habet Deo fauente progressus. semper enim Sodales Sodalibus aggregantur, & alius alium deinceps trahit ad audiendum diuinum verbum, tanto multitudinis incremento, ut conuentus causa prodeundum saepe sit in atrium per amplum, cum laxior in reliquis ædibus non sit locus. Respondent autem intimis hisce studijs externa pietatis officia, dum alij erudiendis Christiana lege pueris, alij subleuandis sua benignitate mendicis, omni cura

Studioq. se dedunt. quod quidem cerni licuit aliquando in publico hominum cœtu, cum ad eliciendam in egenos misericordiam Sacerdos noster verba fecisset. reperti sunt enim, qui detractos sibi anulos magni pretij in pauperum vrnulas arculasq. congererent. Ii etiam, quos tortor rapiebat ad necem, vt equo animo pœnas soluerent, nostri fecerunt: quorum vnus cum contra quam sibi promissum erat, inter circumfusa multitudinis turbam inimicum suum, forensis satellij Prefectum forte conspiceret, conqueri ac vociferari cepit, se proditum esse: qui tamen ad equitatem Patris cohortatione delapsus, non solum facile passus est, vt is suo in se munere fungeretur, sed publice prouolutus ad genua, etiam pedibus osculum dedit. Expiationes conuersionesq. animorum frequentes illæ quidem fuerunt, sed earum non valde dissimiles, quæ alijs litteris mandata sunt. Nobilis aleator ingenti pecunia deperditas, furore actus templum ingreditur. hic ara sacrum lapidem nefaria manu contrectat, & iacere in Deum maledicta sacrilego ore non horret. vix ad aras manus admonerat, cum digiti protinus exarescunt. reformidare ille subito numen cepit, quod tam profens in repetendis pœnis erat expertus: & confestim uenit ad nostros, vt astrictum tanto scelere animi confessione laxaret.

VERO-

VERONENSE COLLEGIVM

& reliqua.

SVNT & Verona complures, qui in Dei gratiam se se apud nostros confessione restituant. Confessiones autem totius vitæ centum Sacerdos vnus excepit: vt ex hoc ipso facilis sit coniectura, penitentium quanta sit turba. Fructuum autem vbertas, confessionum laboribus prope par. Sed quamquam egregie pro animis laboratur, nihil tamen affertur insigne, quod litteris commendemus.

E BONONIENSI Collegio admisit Deus ad immortalitatis præmia, vt eius acta vita spem affert, P. Franciscum Palmium excellentis industria virum & probitatis eximie, optimeq. meritum non de Bononiensi Collegio modo, quod incredibili quadam virtute laborisq. constantia, quinque & triginta ipsos annos, quibus ei præfuit, ex summis rerum angustijs ad hanc mediocritatem bonorum ac fortunarum erexit; sed etiam de Ciuitate, atque adeo de Bononiensi diocesi vniuersa, quam sæpe Cardinalis iussu lustrauit. Eius obitum quam grauius non modo nostri, qui eum numero parentis habebant, sed etiam tota ciuitas tulerit, mæror funeris indicauit. cohonestarunt eius exequias cum Canonici, nobilesq. complures, tum Sacerdotum templi maximi Sodalitium, à quo solemnibus lugubriq. cantu, impetrata à Prouinciali nostro, qui tum forte aderat,

F 4 pote-

potestate, iusta ei funebria pie ac magnifice facta sunt. Obtinet tamen Ciuitas, quamquam tam industrio sumus orbatu Patre, suam de Societate benemerendi consuetudinem. sed recensere singula nihil attinet. Hoc tantum dicam, præter multam ac pretiosam vestem sacra edi dicatam, excedere beneficentiæ summâ, tria amplius aureorum millia: vt sepius de referenda gratia nobis sit cogitandum, quam ut in quærendis animorum commodis factum putemus satis.

I N P L A C E N T I N O Collegio, constitutis utcumq. domesticis rebus, hoc anno primum Ciuitate rogante apertus est ludus; in eoq. adulescentes octoginta fere nobiles, humanitate & primis litteris imbuuntur.

N E M V T I N A E quidem rei bene gerenda occasio prætermittitur. Profectus est Rauennam Archiepiscopi rogatu Sacerdos, qui non modo magnum ex suis concionibus fructum tulit, sed quâdiu in ea vrbe substitit, substitit autem menses circiter quinque, rem Catechismi valde prouexit: et multas ac præclaras consuetudines, quæ diuturnitate temporis interciderant, reuocauit, magno cum pietatis tum Rauennatis Ecclesiæ bono.

M A N T V A E satis secunda fluunt omnia. ad ea autem, quæ de huius Collegij ortu proxime scripta sunt, accessit varia ciuium benignitas aureorum bis mille, ad iacienda fundamenta templi, quo carebamus. Interim more institutoq. nostro, ne quod tempus prætermittatur animis consulendi, constitutus

stitutus ex ijs adolescentibus cætus est, qui Dei Matre in suis præsidijs habere volunt. & quamdiu nullum nobis est templum, in alienis templis teneræ ætati, agrestive plebi Christiana lex traditur.

P. A. R. M. A. E. quoque multi sunt ad bene merendum de Societate propensi, ut ne eorum quidem sine ingrati animi nota sileri liberalitas possit. Accepta sunt eleemosinæ nomine aureorū tria millia, multaq. quotidie in templi suppellectilem conferuntur: ut vel hinc specimen capi liceat, qua pietate sit Ciuitas, & quam ad omnem officij laudem sua sponte propensa.

PROBATIONIS Domus cum male materia-
ta nec satis commoda Nouitiorum vsibus esset; fecerunt hoc anno Camillus Comes Fundator, & frater eius Alphonsus, ut eam nobis à fundamentis quodammodo renouarent. quare eodem tempore ponuntur apud Nouitios & terrestres ædificij principia, & perfectæ fundamenta virtutis. Ceterum Nouellaria instituto nostro multa geruntur. non paucis enim, quos ad inimicorum ultionem irarum acerbitas stimulabat, persuasum est, ut iniurias suas clementer & moderate ferrent. Ex his quidam non modo se flexit ad pacem, sed etiam ad cœnobium sponte se contulit: ut ascensus ei quidam fuisse videatur ad fastigiū cœnobicæ sanctitatis, iræ victoria. Alij post reditū cum inimicis in gratiam, ut nostros labores in ea compositione susceptos munerarentur, potestatem nobis fecerunt (erant enim de principibus) ut tantum ex ipsorum oppido cædua materie

teria liceret aduehi, quantum ad adium nostrarum
contignationes & tabulata sat esset.

FERRARIAE heretici tres, totidemq.
Hebraei ad Christi fidem adducti sunt. atque horum
alter statim à Baptismo profectus ad coniu-
gem, quæ alio morabatur in oppido, ip-
sam quoque in eandem senten-
tiam religionemq.
perduxit.

